

Thom. X. VII. 949



C. R. Tom. 4. pag. 77
1719



A. R. II. #. 35.

Sam. Orell kurtzer Unterricht in der
Ehrlich. Religion, nach der Lehre der
Unitariorum.

Mummi Ludovici XIII. epigraphic, perdan Ba-
bylonis nomen, vel, perdan Babyloneum,
insignes illustrati, et ignis contra
do. Harduicium delecti a Christ.
Lijon. Liebe, Lep. 1717, 8.

III. H. 14.

101

100



2

IOANNIS SARTORII,
ELOQV. ET POES. PROF. PUBL.
RESPONSIO
AD INIQVAM CENSURAM
ANONYMI HALENSIS.

LIPSIÆ,
apud Hæred. Lanckifii,

1 7 1 7-

JOHANNES SARTORIUS
PROF. PUBL.
RHEINISCHES
AMONTIENSIS





Dlacuit Viro claris-
 simi nominis, ali-
 quot abhinc an-
 nis, publici iuris
 facere *Charlatane-*
riam, hoc est, doctam Satyram
 de circulatoriis literatorum
 artibus. Cur tali nomine eam
 insigniverit, peregrino potius,
 quam civitatis latinae voca-
 bulo usus, meum non est in-
 terpretari. Fuit res eius ar-
 bitrii, iudicii que; cuius cau-
 sam velle ab eo expetere, par-
 tim insolens foret, partim, ubi



scopum satyrae expenderis, plane superfluum. Nam Vi-
 ro clarissimo, inscriptionem
 in *asmus* vel *ismus* exituram
 (a quarum altera Harlequi-
 nismus, aut Scaramuzismus,
 haec satyra inscribi potuis-
 set,) ideo displicuisse, ne sub
 invisis *Chiliasmi*, *Pietismi*, *Qua-*
ckerismi, aliorumve nomini-
 bus, gratiam auctoritatis ex-
 ueret, ut crederem, a me im-
 petrare non potui: nisi forte
 Calvinismus irreconciliabilis
 Hülsemanni, Socinismus pro-
 fligatus Calovii, Papismus
 vapulans Scherzeri, Luthera-
 nismus Seckendorffii, (ne de
 aliis dicam) Virorum sane
 maximorum labores, ob id
 statim invisi, & gratae poste-
 sta-

ritatis manibus essent excutiendi. Absit, inquam, ut Virum doctum, cuius virtutem merito veneror, huius animi esse credam. Multo minus adducor, (ut quidem rubrica editionis vernaculae, quae anno superiori Lipsiae prodiit, mit **Genehmhaltung des Herrn Verfassers**, coniecturae locum concedit,) probatum ab Eodem iri ἐπιγεῖσθω, qua anonymus Lipsiensis pag. 4. ad verba: **Durch 500 Sestertia**, censum Equestrem apud Romanos ad quingenta Sestertia extendit, ad haec statuere sustinuit, Laberium a Caesare, ut prodiret in scenam, equestri dignitate fuisse ornatum. Haec e verbis

a 3

Ma-

Macrobiani *lib. II. Saturnal. cap. 7.*
 elici nequeunt. Sane Horatius,
 ab aetate Caesaris propius
 absens, *lib. I. Epist. I. v. 57.*
 nec multo post Plinius *lib.*
XXXIII. cap. 2. praecipue
 Comensis alter, *lib. I. Epist. 19.*
 censum equestrem, non ad
 quingenta, sed quadringenta
 duntaxat Sestertia protulerunt.
 His census equestrium
 facultatum multo liquidius
 constare debuit, quam Macro-
 bio, post trecentos, &
 quod excurrit, annos florenti.
 Ut mihi quidem Macrobius
 non de censu equestri, sed de
 alio quodam praemio locutus
 esse videatur. Sed nec Macro-
 bius istud asserit, Laberium tali
 praemio ad scenam a Caesare
 evocatum fuisse: qui, praeter-

ter-

terqvam quod Laberium a-
sperae libertatis equitem Ro-
manum agnoscat, priusqvam
Caesaris sive gratia, sive offen-
sa, mimum agere cogeretur,
his insuper verbis qverentem
inducit:

*Ego bis tricenis annis actis,
sine nota
Eques Romanus lare egressus
meo,*

Domum revertar mimus.

Ante dictam Charletane-
riam, in vernaculum fermo-
nem versam, exceperunt va-
riae variorum animadversio-
nes ac notae, quas ut in me-
dio relinquo, ita interpretis,
ut vult dici, Halensis, censu-
ram, anno superiori Lipsiae
recusam, qua pagina prima
& septuagesima, dissertatio-

a 4 nem

nem meam de *Ostracismo literario*, anno 1710. luci expositam, fatis acerbe infectatur, demirari non potui. Arguit eam alterius diligentiae, quae magno fructu inde decerpto, paene tota e Vindiciis veterum Scriptorum V. C. la Croze esset descripta. Onervavit primo intuitu pudorem meum invidiosior criminatione, ne, quantum laudis Viro candido ac perdocto, nocendi artibus esset appositum, tantundem paranda existimationis, in discrimen adductae, defensione, ei viderer subtrahere. Cogitavi praeterea, vix remedio locum posse relinqui, ubi, quae vitia sunt, iam pro moribus habentur.

bentur. Tum, quid expectandum ab homine, nulla unquam iniuria a me provocato, nulla obtrectandi libidine incenso; per alterius tamen famae ruinam sibi gradum ad propriam laudem paranti? Sed cum grave sit, si convitia patiaris inulta, inertem; si ulciscaris, insolentem videri: respondebo homini prius in genere verbis Hieronymi: (Tom. II. contra Rufin. p. 167.) *Posses & ego tuis re coloribus pingere, & insanire contra insanientem; & eadem licentia, imo furore & amentia, vel falsa, vel vera congerere: - - - ut ex frontis duritia fidem lectori facerem: ut quod impudenter scriberem, vere scribere*

*bere judicaret Sed procul sit
a moribus Christianis, ut, dum
aliorum petunt sanguinem, suum
offerant, & sine gladio voluntate
homicidae sint. Tuae hoc boni-
tati, tuaeque mansuetudini &
simplicitati convenit, qui de uno
pectoris sterquilinio & odorem
rosarum, & foetorem profers ca-
daverum. Quod ad crimi-
nationem ipsam attinet, tan-
tum abest, ut inficias eam,
me ad Vindicias veterum
Scriptorum Dn. la Croze re-
currisse, ut diversis etiam vi-
cibus, cum debita honoris
praefatione, Viri clarissimi
mentionem fecerim, nec dis-
simulaverim eius diligentiam,
Hardvini lapsus ante me no-
tantem: (videatur disserta-
tio-*

tionis meae pag. II. 13. 34. 57. 78.) quod vero maximam, ut arguit interpres, partem inde describerem, maligna est obtrectatio hominis lividi, & a circulatoriis artibus masculine instructi. Integrumne mihi fuerat Speciem Facti, aliis, quam conceptis Hardvini verbis exprimere? Haec cum prolixius exciperet Dn. la Croze, ego insuper ex nova Hardvini editione, serius Vindiciis ante laudatis excusa, plura, ad Speciem Facti pertinentia, allegarem, potui ne evitare, quo minus cardo litis in dissertatione a me scripta extenderetur? Ea tandem sunt, quae anonymus interpres in existimationem
meam

meam premendam arripere potest, &, quia fusius allegata fuere, tanquam exscripta frivole interpretari. Sed ostendat, velim, num in lite ipsa, a me excussa, rationes, quibus Hardvini hypothesis obviam ivi, e Vindiciis, maximam, ut praetendit, partem descripserim? Andabatarum more pugnare, & rationibus minus idoneis aut confictis, causae iugulum petere, incongruens duxi partibus cordatae refutationis. Rectas, si praeter me etiam observavit V. C. la Croze, quis me reprehendat, quod diverso proponendi modo eas denuo in aciem producerem? Num, quia iisdem sacri Codicis dictis

ctis Theologus; iisdem legibus Jctus; iisdem ex Hippocrate aphorismis Medicus, suam hinc sententiam muniunt, isthinc contrariam retundunt, ob rationum consensum, alia atque alia illustratione expressum, notam plagii incurrunt? Quis vero te iudicem aut lictorem in Parnasso constituit, ut de causis literariis decerneres, aut, quod verius, asperitate agresti (*quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris,*) exequendi provinciam tibi arrogares? An, ut velis dicier, hic est! hic Bavius censor! quem tu Romane caveto? Ineptis, argutule. Non sunt aliis nares ita obesæ, ut discernere nequeant

ant rosam a lamio. Scias proinde, anonyme, nihil te profecisse tali decerpenti pruritu, quem conscientia recti fretus ad inclyti nominis Virum remitto, notis in Velleium Paterculum, (*pag. 94. edit. Argent. A. 1642.*) tali sale ardelionum literariorum artes defricantem : *Obtrectare inter se animo, lingua, calamo; deterrere aliena merita, sibi famam studiorum vindicare: peregrinam gloriam, ubi palam attrectare non licet, tristi silentio damnare: novum detrabendi argumentum venari hae sunt artes lividorum ingeniorum.* Possem tibi hic occurrere literis Dn. la Croze, ad me exaratis, quibus Vir humanissimus
egre-

egregio fatis testimonio conatus meos ornavit: nisi tenerior mihi esset verecundiae sensus eas vulgandi; & veneratio magni Viri longe potior, quam ut scuto quodam, diobolaribus ineptiis tuis obiiciendo, iis abuterer.

Sed cum ita lynceus sis in aliorum laboribus, accedamus propius ad tuas censuras, in iisdem notis vibratas: erunt forte aliqua, ubi Senecae verba tuam auriculam vellicent: *Si vis tibi omnia subijcere, te subijce rationi. Multos reges, si te ratio rexerit.* Paginis 13. & 14. in Societates Eruditorum, praecipue Itolorum, & civium tuorum, Germanorum, tanquam NB.
vi-

vilissimi usus, ita inveheris, ut omnino coniiicere liceat, te scripta Morhofii, Herzii, Gryphii, Vockerodii, &c. velute Nilo degustasse. Non est ut manes B. Junckeri, viri de re literaria bene meriti, hic sollicitus. Si vis aridam sitim restringerere, adi saltem proxime allegatum Vockerodium *Introducet. in Notit. Societ. Liter. part. II. cap. I. num. XI. XII. ac XIV.* & desine erga Cives tuos ingratus esse. Pagina 58. cribras Auctoris verba, laudantis Casp. Zieglerum, quod inglorium putaret, Muneris sui dignitatem cum impare antagonista, H. H. periclitari. Quid, anonyme, ad ista? Ich ver-
stehe

stehe aber nicht / inquis, wie
 man solches einen Frevel nen-
 nen könne / wenn man seine
 Kräfte auch wieder grosse Leu-
 te versuchen will? Fallor, aut
 suo se indicio hic prodit so-
 rex. Judicent de tali prae-
 sumptione cordati rerum ae-
 stimatores. Utinam, mi sub-
 rostrane, tua te paupertina
 virtute hic involvisses, quam
 mortuo leoni sic insultasses.
 Certe, (quod fatebuntur
 omnes mecum, qui Ziegler-
 ri emendatissimos mores, ab
 omni fastu, & rixandi scabri-
 tie abhorrentes, propius in-
 spexerunt) si viveret, si haec
 legeret mitissimus, iuxtaque
 sapientissimus Senex, adeo
 non commoveretur tua hac
 b epi-

epicrifi, ut potius eadem oris constantia despiceret catellum, hodie se adlatrantem, qua heri vertagum.

Pagina 130. de Petro Kirstenio, Anna Schurmannia, Jobo Ludolfo, Joan. Henrico Hottingero, August. Pfeiffero, Andr. Acolutho, variarum linguarum peritia inclytis, hoc iudicium depromis, ex vero dici posse, eos omnes lingvas uno acratismo, vel ientaculo absorpsisse. Agnosco acumen Osci, de quo Seneca *præfat. lib. V. Controv.* memorat, cum ab eloquentia multum abesset, natum tamen fuisse ad contumelias omnium ingeniis inurendas. Scilicet, quod non capimus ipsi, carpimus.

pimus. Facile vero doctioribus persuasum erit, illos plures lingvas te caluisse, neque interea pluribus lingvis tot spicula disteriorum in alios contorsisse, quam tu unica. Pagina 131. Josephus Scaliger pari scurrilitate tibi dicitur Praeses magni apud Judaeos Synedrui, quemadmodum pag. 59. Aristoteles, magnus Sultanus imperii tenebrarum. O infulsam Charlataneriam! Quasi talibus nugis atque quiviliis, quas cynicus quisque agyrta, aut perfrietae frontis circulator eructaverit, res inter Eruditos esset confecta. Olim Antipater Sidonius, quod Carneadem convitio subinde lacerasset, dici me-

ruit Calamoboas: te, quo nomine hic compellabimus, anonyme? Confer notam tuam pag. 87. ad verba: *Uns gleicher Meinung*. Tandem, ne sacro quidem Ordini parcis, quem pagina 228. tam indigne traducis, ut me verborum allegandorum taedeat, imo pudeat. At iam pridem Viris cordatis suboluit, qua intemperie fama clarissimorum Theologorum a tuis aequalibus fuerit laceffita. Non vivis, non mortuis par-citur: adeo gliscit carpendi, detrectandique cacoethes! Et certe, si scapham, scapham dicere liceat, res eo hodie prolapsa est, ut ad partes de doctorum virorum scriptis
ju-

iudicandi, tales plerumque literatorculi accedant, quales suo aevo in centumviralibus iudiciis expertus est Plinius, sequentibus (lib. II. Epist. 14.) verbis eorum mores describens: *Perpauci sunt, cum quibus iuret dicere: ceteri, audaces, atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuro ad declamandum huc accedunt - - Plausus tantum ac sola cymbala & tympana illis canticis desunt: Ululatus quidem, (neque enim alio vocabulo potest exprimi, theatris quoque indecora CRIMINATIO) large supersunt. Num tibi aliquis sit μεσόχορος, qui dato signo tuum excitet σοφῶς? scio iuxta cum ignarissimis: id scio, pulchre in te*

b 3 con-

convenire verba Sebast. Stadelii p. 246. 247. in hac editione adducta; **Allen Irrthum aber zu verhüten** &c. quae, velim, legas, ac ruminas. Haec, anonyma, sufficiant. Si obtrectando morari perrexeris, frueri, per me licet, quibus delectaris, glandibus: de me pervasissimus esto, tuis in posterum offulis aut offuciis ne verbulo occursurum. Nam, ut scite Nomius sub calcem Satyrae II.

Furfuris insipidi *dulcedo cernitur in te!*
Sed discas, foliis vendentes thura, siluros,
Aut piper usuros. Nasum juvenesque senesque

Rbi.

*Rhinocerotis habent, nec clausis
Andabatarum
More oculis pugnant. Norunt,
quæ carmina Cygni,
Quæ fundant ranæ. Linguas er-
go, & pudet aures
His involvi sub tenebris, Helico-
ne relicto.*

Dabam Gedani,
A. O. R. MDCCXVII.
d. 22. Feb.

22

* * *

Ministerien haben, wie ehedem
die
ihre
Das
Die
Die


Dabei Gedacht
A. G. R. M. D. C. C. X. V.



X 2311752

433

R. 74



2

IOANNIS SARTORII,
ELOQV. ET POES. PROF. PUBL.
RESPONSIO
AD INIQVAM CENSURAM
ANONYMI HALENSIS.

LIPSIÆ,
apud Hæred. Lanckifii,
M D C C L X V I I